

NOS FR. MARIANUS
SACRÆ THEOLOGIÆ

Humilis Prior Generalis, nec non Commissarius,
Beatissimæ semperque Virg. DEI Genitricis
Observantiæ



VENTIMIGLIA
MAGISTER, ET DOCTOR,
ac Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum
MARIE de Monte Carmelo, Antiquæ
Regularis.



UM inter alia privilegia, quibus à Sancta Sede Religio nostra decorata est, facultatem habeat Sæcularium Confraternitates sub invocatione Gloriosissimæ DEI Genitricis, semperque Virginis MARIE DE MONTE CARMELO erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia, & indulgentias communicandi, illa in huiusmodi Confraternitatibus instituendi (si ad Christifidelium salutem promovendam expedire animadvertat) liberalem se præbere consuevit. Nos igitur qui Generalem totius Ordinis curam gerimus, sperantes fore, ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem, & pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis à Summis Pontificibus concessa, Confraternitatem eisdem Gloriosissimæ DEI Genitricis, semperque Virginis MARIE DE MONTE CARMELO in Ecclesia *parochialis Bystroycensis Diocesis Polonensis*

de consensu tamen *Muscovitarum* ac Reverendissimi Domini Ordinarii eisdem Loci, per præsentem Nostras Literas erigimus: illique, & pro tempore existentibus utriusque sexus Confratribus elargimur, & communicamus illas Indulgentias, facultates, gratias spirituales, illaque privilegia, quæ à Summis Pontificibus concessa, & non revocata fuerunt, & nominatim, quæ in Brevibus fel. mem. Pauli V. continentur, & à fel. pariter record. Clemente X. explicata, & confirmata fuere per alias Literas in forma Brevis, datas die octava Maii MDCLXXIII. tenoris sequentis:

CLEMENS PAPA X. Ad perpetuum rei memoriam. Commissis Nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut spiritualium gratiarum concessiones, quæ ex pia, prudentique huius S. Sedis liberalitate, ad piorum operum incrementum, & Animarum salutem processerunt, quo firmius subsistant, Apostolici muniminis præsidio constabiliamus, illasque etiam Apostolicæ benignitatis charitate ampliemus, & aliàs desuper statuamus, sicuti spirituali Christifidelium edificationi cognoscimus in Domino profuturum. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Matthæus Orlandus Prior Generalis Ordinis Beatæ MARIE VIRGINIS DE MONTE CARMELO, quod cum à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, ac etiam à Nobis nonnulla Indulgentiæ, & peccatorum remissiones, & pœnitentiæ relaxationes tam Christifidelibus Ecclesiis dicti Ordinis visitantibus, & aliæ præscripta pia opera peragentibus, & Confratribus Sancti Scapularis eisdem Beatæ MARIE VIRGINIS DE MONTE CARMELO (quas ubivis locorum extrâ hanc Almam Urbem erigendi, & instituendi, illisque certas Indulgentias, & gratias spirituales, servatâ formâ Constitutionis felicis record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostris super Confraternitatem, Aggregationibus, & Institutionibus edita, & communicandi facultas Priori Generali dicti Ordinis, vel illo absente, ejus Vicario Generali a fel. mem. Paulo V. Prædecessore pariter Nostrum attributa fuit) concessa fuerint; ut omnis, quæ circa illas oriri posset dubietas, recideretur, ex Literis Apostolicis desuper emanatis fideliter excerptum fuit istarum Summariorum à dilecto Filio Nostrò Joanne Tit. S. Bernardi in Termis S. Rom. Eccl. Card. Bona nuncupato revifum, tenoris qui sequitur, videlicet: *Summarium Indulgentiarum à fel. mem. Paulo V. per Literas in forma Brevis datas 30. Octob. MDCVI. 31. Aug. MDCIX., & 19. Julii MDCXIV. concessarum Confraternitati Sacri Scapularis, seu Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.* Primò concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui Confraternitatem Sacri Scapularis, ubivis locorum tam hæctenus canonicè institutam, quam deinceps instituendam de cætero ingredierentur, & Habitum acceperint, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumperint, Indulgentiam plenariam. Secundò descriptis, & describendis in dicta Confraternitate verè pœnitentibus, & confessis, qui in festo principali Commemorationis Beatæ Virginis MARIE die 16. Mensis Julii, & aut juxtâ ritum nonnullorum locorum, die Dominica immediate sequenti celebrari solito, SS. Eucharistiæ Sacramentum sumperint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam. Tertio qui in articulo mortis pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti Nomen JESU ore, si potuerint, sin autem, corde devotè invocaverint, plenariam. Quarto qui pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, Processioni in una Dominica cujuslibet mensis per dictam Confraternitatem de Ordinarii loci licentia faciendâ devotè interfuerint, & ibi, ut præfertur, oraverint, plenariam. Quintò qui ab esu carniû iis diebus, in quibus Confratres dictæ Confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinent, tercentum dies. Sextò qui qualibet die septies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad honorem septem Gaudiorum eisdem Virginis MARIE recitaverint, quadragesima dies. Septimò qui cum Habitum eisdem Confraternitatis pœnitentes & confessi semel in Mense SS. Eucharistiæ Sacramentum sumperint, & ut præfertur, oraverint, quinque annos, & totidem quadragesimas. Octavò, qui pœnitentes & confessi in qualibet ex festivitibus eisdem B. MARIE SS. Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia, vel Cappella dictæ Confraternitatis devotè sumperint, & ut supra dictum est, oraverint, tres annos, & totidem quadragesimas. Nonò qui cum lumine SS. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad infirmos deferuntur, comitati fuerint, & pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos, & totidem quadragesimas. Decimò qui corpora defunctorum quorumcumque ad Sepulturam associaverint, & pro eorum animabus ad Deum oraverint, centum dies. Undecimò qui Officium B. MARIE Virginis, devotè recitaverint, centum dies. Duodecimò qui Missis, & aliis Divinis Officiis in Ecclesia, seu Cappella, aut Oratorio Confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis eisdem Confraternitatis ubivis faciendis intervenerint, aut pauperes hospitio susceperint, aut eis in eorum necessitatibus, vel periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut elemosynas temporales, vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut ignorantes Dei Præcepta, & ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties, pro quolibet prædictorum piorum operum centum dies de injunctis eis, si aliis quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consuetâ concessit, & relaxavit. Decimotertio insuper concessit Priori Generali Ordinis, vel illo absente, Vicario Generali, ut huiusmodi Confraternitatem Beatæ Virginis MARIE DE MONTE CARMELO ubivis locorum extra Urbem erigere, & instituere, illique supra dictas Indulgentias, & gratias spirituales, servatâ formâ præscriptâ in Constitutione fel. rec. Clementis VIII. super Confraternitatem, Aggregationibus, & Institutionibus edita, communicare possit. Decimoquarto denique SS. D. N. CLEMENS X. per Literas suas in forma Brevis datas die 11. Januarii 1672. indulgit, ut omnes prædictæ Indulgentiæ, peccatorum remissiones, ac pœnitentiæ relaxationes per fel. mem. Paulum V. concessa, Animabus Christifidelium per modum suffragii applicari possint. *Hoc Summarium fideliter excerptum est ex Bullis, & Brevis citatis.* Joannes Card. Bona. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Matthæus Prior Generalis Summarium huiusmodi Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio committeri, nonnullaque dubia præmissorum occasione emergentia dissolvi plurimum desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut opportunè in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Matthæi Prioris Generalis votis hac in re, quantum in Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, Summarium præfatum, omniaque, & singula in eo contenta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Præterea ut Confratres, & Consores dictarum Confraternitatum Sacri Scapularis, tam hæctenus erectarum, quam in futurum erigendarum, qui Processioni in una Dominica cujuslibet mensis ab ipsis fieri solite commodè interesse non potuerint, si verè pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, Cappellas suarum respective Confraternitatum devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, eandem Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, quam Paulus V. Prædecessor illis, qui Processioni huiusmodi interfuerint, concessit, pariformiter consequantur; & similibus Infirmi, Captivi, & Peregrinantes, qui Cappellas huiusmodi dicta Dominica visitare nequiverint, si Officium parvum Beatæ MARIE Virginis, aut quinquagesimam Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitaverint, & saltè contriti fuerint cum proposito confitendi, & sacram Communionem recipiendi quamprimum potuerint, quod adimplere omninò tenentur; Fratres quoque, & Moniales Ordinis præfati commorantes in Conventibus, in quibus non est erecta Confraternitas Sacri Scapularis, vel non fit Processio huiusmodi, si Litaniis omnium Sanctorum in Choro, vel privatim, si legitime impediti, non potuerint interesse Choro, devotè recitaverint, cæteraque in Literis præfati Pauli Prædecessoris præscripta adimplerint, præfata plenariam Indulgentiam, & peccatorum remissiones etiam consequantur, auctoritate, & tenore præfatis concedimus, ac indulgemus. Porrò festum principale Confraternitatum Sacri Scapularis huiusmodi, juxta indultum ab eodem Paulo Prædecessore concessum, die 16. mensis Julii, vel Dominica immediate sequenti quotannis celebrari solitum, ob majorem devotionem, vel commoditatem Christifidelium, aut quando eadem die occurreret alia solemnitas, in aliam Dominicam eisdem mensis transferri permittimus. Soli autem Superiores Generales dicti Ordinis possint extra Urbem præfata in singulis Ecclesiis eisdem Ordinis, & in quibuscumque aliis, accedente consensu Ordinariorum, Confraternitates præfatas, servatâ cateroquin præfatum Pauli Prædecessoris Literarum forma, & dispositione, instituere, & nullus alius, sub pœna nullitatis. Decernentes eandem præsentem Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac aliis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante Nostræ Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo piscatoris, die 8. Maii 1673. Pontificatus Nostrî Anno tertio. I. G. Slusius.

Hæc privilegia, gratias spirituales, & Indulgentias Confraternitatibus præfata Sodalitatis Auctoritate Apostolica communicamus, & specialiter huic superius laudatæ, & à Nobis erectæ Confraternitati in suprascripta Ecclesia *Bystroycensis cum facultate Benedicensi Sacrum Scapulare seu habitum nostri Ordinis, ipsiusque imponendi omnibus utriusque sexus Christi fidelibus nec non eisdem Sacrum Scapulare devotè gestantibus plenarie adhibitum in modo dicta Capella* Declarantes nostram esse intentionem in Locis, ubi nostra Religio Ecclesiam non habet, & erigere sub hac expressa conditione, & non aliter, quod si Religiosis nostris se obtulerit occasio in illis, vel in aliis ad tria milliaria propinquis locis acquirendi de novo, & fundandi aliquam Ecclesiam, seu Monasterium, Confratres Sodalitatis nostræ ibi jam erectæ nullo pacto, per se, vel per alios directè, vel indirectè novi Conventus acquisitioni, & fundationi se opponant, aut contradicant, aliquodve afferant impedimentum, & si fecerint, vel facere tentaverint, cassa erit, & nulla ipso facto erectio Confraternitatis, ac si nunquam illa fuisset erecta; quodque ad Ecclesiam à Religione de novo acquisitam, Confraternitas prius erecta cum omnibus suis bonis mobilibus, & immobilibus sine ulla requisitione, petitione, & instantia statim transferatur, & tran slata intelligatur. Ad quæ omnia Confratres in ipsa fundacione Confraternitatis per instrumentum publicum se, suosque successores obligabunt, imò eo ipso, quod vi præsentium Confraternitas instituta fuerit, Confratres in ipsam fundacionem Conventus quodcumque futuram, & translationem dictæ Confraternitatis ad illius Ecclesiam expressè, & formalitè consensisse censentur, etiamsi illa instrumento publico forsân non essent polliciti, nec ob quancumque causam dictum consensum revocare, aut adversus illum restitutionem in integrum, vel quodcumque aliud juris remedium prætere, aut eo obtento uti poterunt; Præsentibus valituris usque ad aliam nostram, vel nostrorum Successorum dispositionem. In quorum fidem præsentem manu propria subscripsimus, nostroque sigillo roboravimus.

Datum In Conventu nostro Sanctæ Mariæ Bystroycensis die 20. Augusti Anno 1674.

Registrat. fol. 23

M. Michael Pieszycki, P. Prior et
Secretarius illi pro Polonia Carnetti

